L. Annaeus Seneca quid de dis senserit exponitur.

Scripsit

Hermannus Wunder.

Commentatio Annalibus Scholae Regiae Grimensis addita.

Grimae,
typis C. Roessleri.
1879.

1879. Progr. № 450.

L. Annaeus Seneca
quid de dis senserit exponitur.

Scripsit

Hermannus Wunder.

Commentatio Annalibus Scholae Regiae Grimensis addita.

Grimae,
typis C. Roessleri.
1879.

Εἰ μὲν οὖν ἔστι τις οἰκειότης πρὸς ἀλλήλους τοῖς λόγοις, προὔργου ἂν ἡμῖν αὐτῶν ἡ γνῶσις γένοιτο· εἰ δὲ μή, τό γε παράλληλα θέντας καταμαθεῖν τὸ διάφορον, οὐ μικρὸν εἰς βεβαίωσιν βελτίονος.

Basilius de legendis Graec. libris c. 3.

L. Annaeus Seneca quid de dis senserit exponitur.[1])

Notissima illa Q. Horatii Flacci verba (Ep. II, 1, 156) „Graecia capta ferum victorem cepit" si ex mente poetae interpretamur, non possumus non de eruditione Graecorum Romam translata intellegere. Eadem tamen si per se spectantur, nihil impedit, quominus etiam de deorum

1) Idem locus aut attingitur aut explicator his libris: F. Nüscheler: *L. Annaeus Seneca der Sittenlehrer nach dem Character seines Lebens und seiner Schriften entworfen.* Bd. I. Zürich 1783.

Th. Fr. God. Reinhardt: De L. Annaei Senecae vita atque scriptis. Ienae 1816.

J. C. Fr. Meyer: Commentatio in qua doctrina Stoicorum ethica cum Christiana comparatur. Gottingae 1823.

C. Schmidt: *Essai historique sur la société civile dans le monde romain et sur sa transformation par le christianisme.* Paris 1853: quem librum ab A. V. Richard in Germanorum linguam conversum (Lipsiae 1857 editum) lectores iubebo adire.

Holzherr: *Der Philosoph L. Annaeus Seneca.* Rastatt 1. Th. 1858; 2. Th. 1859.

Siedler: *Die religiös-sittliche Weltanschauung des Philosophen L. Annaeus Seneca.* Fraustadt 1863.

Praeterea Fickert edidit (Vratislaviae 1851) dissertationem quandam, qua Senecae „de natura deorum" sententiam exposuit, quam tamen dissertationem non magis mihi licuit inspicere quam eos libros, quos duo Francogalli ediderunt:

Fleury: *St.-Paul et Sénèque.* Paris 1853. (2 Bde.)

Aubertin: *Etude critique sur les rapports supposés entre Sénèque et St.-Paul.* Paris 1857.

Idem dicendum est de multis illis dissertationibus, quas commemorat Teuffel in historia litterarum Latinarum (ed. II. Lipsiae 1872) p. 616 sqq. Quem vero libellum de Seneca anno proximo Ienae editum esse a collega quodam accepi, eius ne titulus quidem mihi notus est.

Döllinger: *Heidenthum und Judenthum.* Regensburg 1857.

Hausrath: *Neutestamentliche Zeitgeschichte.* (Bd. II. Heidelberg 1872.)

Le comte Joseph de Maistre: *Soirées de St.-Pétersbourg:* cuius libri ingeniosissimi versione Germanica usus sum ea, quam M. Lieber edidit Francofurti ad M. 1824.

E. v. Lasaulx: *Studien des classischen Alterthums.* Regensburg 1854.

Friedländer: *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms.* Th. III. Leipzig 1871.

Auberlen: *Die göttliche Offenbarung.* 2 Bde. Basel 1861. 1864.

Hasler: *Ueber das Verhältniss der heidnischen und christlichen Ethik.* München 1866.

Grosch: *Die Sittenlehre des Epictet.* Wernigerode 1867.

Spiess: Logos Spermaticos. Leipzig 1871.

Uhlhorn: *Der Kampf des Christenthums mit dem Heidenthum.* Stuttgart 1874.

opinione in animis Romanorum, ex quo assidue philosophiae Graecae operam dare coeperant, vel minuta vel prorsus exstincta[2]) et de moribus eorum depravatis accipiantur. Cum enim apud Graecos alia philosophorum disciplina excepisset aliam nec tamen ulla id quod verum est reperire potuisset, fieri non potuit, quin multi de vero inveniendo prorsus desperantes eas, quas a maioribus acceperant, de dis opiniones prorsus abicerent.

Atque etiam inter Romanos fuerunt, qui popularem religionem quam maxime impugnarent. Veluti P. Lucretius Carus carmine odii in usitatas perceptasque cognitiones deorum plenissimo[3]) Epicurum summis laudibus extulit. Cum enim „humana vita foede iaceret oppressa gravi sub religione", quo vocabulo poeta ille usitatum deorum cultum significat, eum istam religionem obterere ausum et natura perscrutanda de genere humano immortaliter esse meritum praedicavit. (I. v. 62—79.) Sed ne quid his laudibus invidiae aut criminis subiret, Lucretius haec putavit adicienda (ib. v. 80 sqq.):

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa viamque
Indugredi sceleris, quod contra saepius illa
Religio peperit scelerosa atque impia facta.

Eius rei exemplum postquam Iphigeniam Dianae ab Agamemnone mactatam attulit, sic exclamat (v. 101):

Tantum religio potuit suadere malorum.

Possit aliquis eos, quos attuli, versus ita interpretari, ut Lucretium solam superstitionem evellere ex hominum animis voluisse dicat. Sed quod idem poeta deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi atque ab eisdem hominum vitae consuli et provideri negavit: nonne multi iure videntur inde collegisse, eum nullam deorum opinionem fecisse reliquam?

Non eodem animi ardore atque Lucretius, sed audacia maiore fuit C. Plinius Secundus, historiae naturalis scriptor. Is enim cum diu multumque litteris operam dedisset, hunc tulit studiorum fructum, ut nullos deos esse sibi persuaderet. Solum, inquit, certum est, nihil esse certi nec quicquam miserius homine (nat. hist. 2, 25).

Eiusmodi vero doctrinam quantam vim habuisse censebimus ad hominum animos depravandos, si quidem is, qui deos non credit, nihil habet, quo a peccando deterreatur? Luculento hoc probavit exemplo C. Petronius, is qui apud Neronem, a quo propter eruditum luxum et scientiam voluptatum elegantiarum arbiter assumptus erat, aliquamdiu gratia floruit.[4]) Qui cum vitam fere solis libidinibus deditam degisset[5]), Pisoniana coniuratione, cuius ipse affinis erat, patefacta postquam se quoque capitis damnatum iri intellexit, ut poenam anteverteret, ipse sibi

---

2) Huc pertinent, quae apud Livium leguntur: III, 20, 5: Sed nondum haec, quae nunc tenet saeculum, neglegentia deum venerat; X, 40, 10. Iuvenis ante doctrinam deos spernentem natus. — Evenerat igitur, quod eventurum esse his verbis Cato vaticinatus erat: „Hoc puta vatem dixisse: Quandocunque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet."

3) His verbis apud Ciceronem (de nat. deor. I, 14, 36) C. Velleius Epicureus utitur, quo loco eorum, qui ante Epicurum fuerunt, philosophorum censuram agit.

4) Tacit. ab exc. d. Aug. XVI, 18.

5) Tacit. ib.: „Illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur".

manum afferre constituit. Sed ut morte appropinquante tandem aliquando seria cogitare vitamque peractam secum reputare inciperet, tantum afuit, ut ne tum quidem animi pravitatem exueret, sed, dum venas sibi incidi iubet, amicos carmina levia recitantes audiret.[6])

Quamquam si quis aequales eorum, quos commemoravi, virorum omnes vel Lucretios vel Plinios vel Petronios fuisse putet, nae ille in summo errore versetur: nam fuerunt etiamtum, qui maiorum auctoritate haud mediocriter permoti eas, quas ab his acceperant, de dis immortalibus opiniones fortiter defenderent. Maior autem pars eruditorum eas tanquam aniles fabellas prorsus spernebat, neque tamen, ipsi quid sentirent, aperte dicere audebant, deorum patriorum cultum idcirco servandum esse rati, ut vulgus formidine quadam regeretur. Sic enim statuebant, omnem de dis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus rei publicae causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium duceret religio. Itaque dis cultus, honores, preces adhibere pergebant, sed in specie fictae simulationis quae inesse potuit pietas, quae morum sanctitas? Fuerint sane inter eos, qui aliquam dei opinionem retinerent, sed eius dei, qui humanas res non curaret. Talis videlicet opinio ad animos emendandos nullam profecto vim habere potuit.

Quodsi nobiscum reputaverimus, generi humano innatum esse desiderium habendi, quo tanquam firmamento animi niti possit, non mirabimur, eorum, qui esse deos populares credere desierunt, optimum quemque, ut animi tranquillitatem pararet, ad philosophos confugisse, a quibus verum repertum esse sibi persuasisset. Erant etiam, qui a peregrinis dis salutem petendam censerent, quorum deorum cultus, quamquam, ne fieret, legibus cautum erat, tamen Romae primo p. Chr. n. saeculo valde increbuit. Alii denique sacra Iudaeorum studiose observabant, quorum Tiberio imperitante ad octo milia Romae fuisse septemque synagogas habuisse traditum est.

Indocti autem, cum et eas, quas a maioribus de dis acceperant, opiniones animis prorsus exuissent neque ea ingenii vi essent, ut philosophorum placita mente comprehendere possent, quid mirum quod omnis religionis facti sunt expertes, idque eo magis, quod, cum spectaculis interessent, saepissime ea de dis narrari audiebant, quae ad auctoritatem eorum in hominum animis minuendam vel maxime pertinerent [7])? Atque quos dixi Romanos ad philosophos confugisse, eorum quo quis erat graviore ingenio, eo magis ferebatur ad doctrinam Stoicorum, sectae illius fortissimae ac sanctissimae.[8]) Stoicorum autem fere princeps fuit inter Romanos L. Annaeus Seneca [9]). Is quam sententiam de dis habuerit quo magis perspici possit, ea, quae multis locis per libros eius dispersa sunt, in unum quasi corpus redigere mihi propositum est.

---

6) Tacit. l. l. c. 19.

7) Friedländer l. l. p. 424 sq. Uhlhorn l. l. p. 33 sqq.

8) Sen. ep. 83, 9.

9) Is cum apud Sotionem philosophum puer sedisset (Ep. 49, 2) ab eoque tanto Pythagorae amore incensus esset, ut animalibus abstinere inciperet et anno demum peracto patre rogante ad pristinam consuetudinem rediret (Ep. 108, 17. 22), postea Attalum Stoicum de philosophia praecipientem audivit idque tam studiose, ut „scholam eius obsideret et primus veniret et novissimus exiret, ambulantem quoque illum ad aliquas disputationes evocaret.“ (ib. 3.) Cuius quidem philosophi praecepta quantum ad vitam moresque Senecae aliquamdiu certe valuerint, ex his eius verbis apparet: „Ego certe cum Attalum audirem in vitia, in errores, in mala vitae perorantem, saepe misertus sum generis humani et illum sublimem altioremque humano fastigio credidi. Ipse regem se esse dicebat: sed plus quam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium. Cum vero commendare paupertatem coeperat et ostendere, quam, quidquid usum excederet, pondus esset supervacuum et grave ferenti, saepe exire e schola pauperi libuit. Cum coeperat

Atque hanc quaestionem Senecae ipsi ingenio humano dignissimam esse visam, meo iure ex iis videor colligere, quae scripsit in naturalium quaestionum l. I praef. (1 sq.): „Quantum inter philosophiam interest et ceteras artes, tantum interesse existimo in ipsa philosophia inter illam partem, quae ad homines, et hanc, quae ad deos pertinet. Altior haec est et animosior. Denique tantum inter duas interest, quantum inter deum et hominem. Altera docet, quid in terris agendum sit, altera, quid agatur in coelo. Altera errores nostros discutit et lumen admovet, quo discernantur ambigua vitae, altera multo supra hanc, in qua volutamur, caliginem excedit et e tenebris ereptos perducit illo, unde lucet.“

Tantum autem cum ille rerum divinarum investitationi tribuat, consentaneum est eum, quas falsas opiniones pervagatas esse intellegat, eas, quantum possit, eximere studere ex popularium animis. Indignatur igitur, quotienscunque, quae poetae de dis narraverunt, recordatur. „Sic, inquit, vestras hallucinationes fero,[10]) quemadmodum Juppiter optimus maximus ineptias poetarum, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit et abnoctantem, alius saevum in deos, alius iniquum in homines, alius raptorum ingenuorum corruptorem et cognatorum quidem, alius parricidam et regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum (i. e. effectum) est, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent.“ [11])

---

voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem non tantum ab inlicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis, libebat circumscribere gulam ac ventrem. Inde mihi quaedam permansere, Lucili. Magno enim in omnia inceptu veneram. Deinde ad civitatis vitam reductus ex bene coeptis pauca servavi; inde ostreis boletisque in omnem vitam renuntiatum est. Nec enim cibi, sed oblectamenta sunt ad edendum saturos cogentia, quod gratissimum est edacibus et se ultra quam capiunt farcientibus, facile descensura, facile reditura. Inde in omnem vitam unguento abstinemus, quoniam optimus odor in corpore est nullus. Inde vino carens stomachus. Inde in omnem vitam balneum fugimus, decoquere corpus atque exinanire sudoribus inutile simul delicatumque crediimus: cetera proiecta redierunt, ita tamen, ut, quorum abstinentiam interrupi, modum servem et quidem abstinentiae proximiorem, nescio an difficiliorem.“ (Ep. 108, 13 sqq.)

Nec vero unum Attalum, sed universam Stoicorum disciplinam honorifice Seneca memoravit, ita quidem, ut inter Stoicos et ceteros sapientiam professos tantum interesse diceret, quantum inter mares et feminas (de constantia sap. I, 1; alios locos, qui huc pertinent, attulit Zeller hist. philos. Graec. III, 1. ed. 2. p. 618). Sed quamquam Stoicos multa cum laude commemorat, tamen admiratione eorum adeo non occaecatur, ut minime ad unum aliquem ex eorum proceribus se alliget. sed etiam sibi censendi ius esse affirmet (de vita beata III, 2), sic statuens, nondum occupatam esse veritatem, multum ex illa etiam futuris relictum esse (Ep. 33, 1). „Nam si semper, inquit, unius sequitur sententiam, non in curia est, sed in factiosis“ (de otio III, 1). Qua quidem iudicii libertate Seneca ita utitur, ut et, quotienscunque ipsi aliud placet atque illis, suam sententiam dicere non vereatur, et. quaecunque ab aliis recte praecipi sibi persuasit, ea laudare non dubitet; v. Zeller l. l.

10) Haec Seneca sapientem inducit dicentem de vita beata 26, 6. Similia sunt, quae leguntur de brevitate vitae 16, 5: „Inde etiam poetarum furor fabulis humanos errores alentium — —: quid aliud est vitia nostra incendere quam auctores illis inscribere deos et dare morbo exemplo divinitatis excusatam licentiam“.

11) Idem poetis a Graecorum philosophis exprobrari videmus: quo in numero est Xenophanes, cuius hos versus Sextus (adversus Mathematicos I, 193) servavit:

πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός τ' Ἡσίοδός τε.
ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστίν,
οἳ πλεῖστ' ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθεμίστια ἔργα,
κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Cf. Zeller I. p. 454. In eandem sententiam locuti sunt Pythagoras (Zeller I. 396). Heraclitus (Z. I. 530, 593), Plato (Z. II. p. 788, adn. 5). Rectissime igitur Auberlen l. l. I. p. 91. scripsit: „*Dem Plato sind ja die eigentlichen*

Alio loco [12]) Seneca eorum stultitiam exagitat, qui Iovem e nubibus fulmina mittere ac saepe suas statuas petere et sacrilegis non punitis innoxias pecudes ferire existiment. Quod postquam cum iustitia dei concinere negavit, causam, cur eiusmodi res excogitatae sint, hanc affert, quod „ad coercendos imperitorum animos sapientissimi viri iudicaverint inevitabilem metum, ut aliquid supra se homines timerent.“ Utile erat, inquit, in tanta audacia scelerum esse, adversus quod nemo sibi satis potens videretur. Ad deterrendos itaque eos, quibus innocentia nisi metu non placet, posuerunt supra caput vindicem, et quidem armatum.

Ea vero, quae a maiestate deorum abhorrent, cum non solum a poetis dicta sint, sed etiam a philosophis, graviter Seneca in Epicurum invehitur, „qui deum inermem fecerit, omnia illi tela, omnem detraxerit potentiam et, ne cuiquam metuendus esset, illum proiecerit extra metum. [13]) Eundem vituperat, quod deum a mundo aversum nihil agere contendat [14]), quod eundem vota exaudire [15]), quod generis humani curam gerere neget. [16]) Praeterea deos invidiae expertes esse [17]), eosdem minime fumo extorum et turis odore delectari affirmat. [18])

Quoniam, quas de dis opiniones Seneca improbandas putasset, exposuimus, ad ea, quae ipsi placent, exponenda aggrediar. [18b])

Esse deum cum ex eo efficit, quod omnibus de dis insita opinio sit [19]) et quod plurima in homines beneficia conferantur, qua de re infra videbimus, tum ex eo, quod mundus sapientissime sit institutus.

Itaque deus, quamquam oculis non conspicitur [20]), tamen ex operibus cognoscitur. „Si tibi occurrerit“, inquit Seneca [21]), „vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus et conspectum caeli ramorum aliorum alios protegentium umbra submovens, illa proceritas silvae et secretum loci et admiratio umbrae in aperto tam densae atque continuae fidem tibi numinis

---

Anstösse an den Mythen die ethischen. Nicht im Namen der (unerleuchteten) Vernunft, sondern im Namen des Gewissens übt Plato seine Kritik. Sie hängt mit einer tieferen Kenntniss der sittlichen Grundbegriffe zusammen.“

12) Nat. quaest. II, 42.

13) De benef. IV, 19, 1. Hunc igitur, inquit, inseptum ingenti quodam et inexplicabili muro divisumque a contactu et a conspectu mortalium non habes quare verearis; nulla ibi nec tribuendi nec nocendi materia est.

14) De benef. IV. 4, 1.

15) Ibid. IV, 19 2.

16) Ibid. VII, 31, 3.

17) Ep. 73, 15.

18) De benef. IV, 25, 1.

18b) Laudanda h. l. est modestia Senecae, qui Aristotelem secutus „nunquam nos verecundiores esse debere“ scribat „quam cum de dis agatur“ (nat. quaest. VII, 30, 1). — Hac quoque aetate vel inter eos, qui amantissimi sunt libertatis populi, inveniuntur, qui eandem sententiam sequantur, veluti Henricus de Treitschke, qui in annalibus Borussicis haec scripsit: *„Wir haben ein Recht zu fordern, dass über das Heilige mit Ernst und Ehrfurcht gesprochen und die überlieferten Formen des Kirchenlebens mit Achtung und Schonung behandelt werden“. (Evangelisch-kirchlicher Anzeiger von Berlin 1876. Nr. 16. S. 125.)*

19) Ep. 117, 6: „Nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta. ut non aliquos deos credat.“

20) Nat. quaest. VII. 30, 3: „Ipse —, qui condidit, qui totum hoc fundavit —, effugit oculos, cogitatione visendus est.“ Cf. quae in eodem libro leguntur (I. prolog. 14): „In illo (i. e. in deo) nulla pars extra animum est.“

21) Ep. 41, 3.

facit. Et si quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit, non manu factus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excavatus, animum tuum quadam religionis suspicione percutiet.“ [22]) Cum iis, quae modo attuli, aptissime ea verba conferri puto, quae Xenophonteus Socrates facit[23]): *Ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων, ἐν ᾧ πάντα καλὰ καὶ ἀγαθά ἐστι, καὶ ἀεὶ μὲν χρωμένοις ἀτριβῆ τε καὶ ὑγιᾶ καὶ ἀγήρατα παρέχων, θᾶττον δὲ νοήματος ἀναμαρτήτως ὑπηρετοῦντα, οὗτος τὰ μέγιστα μὲν πράττων ὁρᾶται, τάδε δὲ οἰκονομῶν ἀόριστος ἡμῖν ἐστιν. Ἐννόει δ', ὅτι καὶ ὁ πᾶσι φανερὸς δοκῶν εἶναι ἥλιος οὐκ ἐπιτρέπει τοῖς ἀνθρώποις ἑαυτὸν ἀκριβῶς ὁρᾶν, ἀλλ', ἐάν τις αὐτὸν ἀναιδῶς ἐγχειρῇ θεᾶσθαι, τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται. Καὶ τοὺς ὑπηρέτας δὲ τῶν θεῶν εὑρήσεις ἀφανεῖς ὄντας· κεραυνός τε γὰρ ὅτι μὲν ἄνωθεν ἀφίεται, δῆλον, καὶ ὅτι, οἷς ἂν ἐντύχῃ, πάντων κρατεῖ, ὁρᾶται δ' οὔτ' ἐπιὼν οὔτε κατασκήψας οὔτε ἀπιών· καὶ ἄνεμοι αὐτοὶ μὲν οὐχ ὁρῶνται, ἃ δὲ ποιοῦσι, φανερὰ ἡμῖν ἐστι, καὶ προσιόντων αὐτῶν αἰσθανόμεθα. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνθρώπου γε ψυχή, ἥ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων, τοῦ θείου μετέχει, ὅτι μὲν βασιλεύει ἐν ἡμῖν, φανερόν, ὁρᾶται δὲ οὐδ' αὐτή. Ἃ χρὴ κατανοοῦντα μὴ καταφρονεῖν τῶν ἀοράτων, ἀλλ' ἐκ τῶν γιγνομένων τὴν δύναμιν αὐτῶν καταμανθάνοντα τιμᾶν τὸ δαιμόνιον.* [24])

Est autem deus ille aeternus; nam cum omnia interierint, ipse integer manebit[25]), omnipotens[26]), omnibus locis adest[27]), omnia scit[28]), ita quidem, ut, quaecunque homines cogitant, eorum nihil ignoret[29]), totus est ratio[30]), omnis erroris expers[31]), absoluta virtute praeditus[32]), sanctissimus[33]), nulla re eget[34]), sed perpetua felicitate fruitur.[35])

---

22) Sapientia dei etiam aliis locis laudatur; cf. de prov. I. de benef. IV, 23.

23) Memorab. IV, 3, 13 sqq.

24) His Socratis verbis in mentem nobis revocantur, quae Paulus apostolus in epistola ad Romanos data (I, 20) scripsit: *Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης.*

25) Ep. 9, 16.

26) Hoc colligit Holzherr (diss. I. p. 101) ex his Senecae verbis (ep. 31, 10) „Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia“. Quamquam, id quod pace dixerim viri doctissimi, mihi quidem non videtur ex his verbis apparere, tantam in deo esse potentiam, ut nihil ei possit resistere.

27) Ep. 95, 47: „Ubique praesto est.“

28) Nat. quaest. II, 36: „Dei divinitati omne praesens est“; cf. de benef. V, 25, 4. et IV, 32, 1.

29) Ep. 83, 1: „Sic certe vivendum est, tanquam in conspectu vivamus. Sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: et potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil deo clusum est. Interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit.“ — Huc pertinet fragmentum illud, quod ex Senecae exhortationibus Lactantius (instit. VI. 24) servavit: „Magnum nescio quid maiusque, quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos adprobemus! Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus deo.“

30) Nat. quaest I. prol. 14.

31) Ib. VII, 29, 3.

32) Ep. 92, 27.

33) Ep. 87. 21: „Animus, nisi purus ac sanctus est, deum non capit.“

34) De benef. II, 30, 2. — Ibid. IV, 3, 2: „In omnia illis (dis) natura sua sufficit plenosque — praestat.“ — Ibid. 9, 1: „Nec ille collato eget nec nos ei quicquam conferre possumus“. Inviolabiles quoque et tuti di dicuntur (ibid. 3, 2), ut nemo iis nocere possit (ibid. VII, 7, 3).

35) Ep. 59, 18: „Illud gaudium, quod deos sequitur, non interrumpitur, non desinit.“

Quam tamen felicitatem ne quis talem esse putet, qualis visa est Epicuro, qui deum nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem finxit [36]), obstat, quod, ut ait Seneca, deus, qua animi bonitate adductus est, ut mundum faceret [37]), eadem adducitur, ne generi humano unquam prospicere desinat. Hoc enim interest inter deum Epicuri et Senecae, quod ille nulla gratia, nulla hominum caritate tenetur [38]), hic hominum est amantissimus. Itaque dei opera in eo est posita, ut perpetuo homines beneficio afficiat.

Quam quidem Dei sive beneficentiam sive comitatem sive benignitatem cum Seneca saepissime et egregiis verbis praedicet [39]), ego quoque pluribus persequendam duco, ita quidem, ut simul earum artium, quae huic virtuti quasi administrae comitesque adiunctae sunt, rationem habeam.

Ac „naturam quidem deo mitem et placidam" esse Seneca dicit de ira II, 27, 1. [40]) Itaque „plurima beneficia ac maxima in homines deus confert [41]), sine intermissione diebus ac noctibus [42]), sine spe recipiendi" [43]); idem, „quidquid iis bono futurum erat, in proximo posuit; non exspectavit inquisitionem hominum et ultro dedit [44]); nec solum necessitatibus eorum providit, sed usque in delicias eos amat." [45])

Ac tanta dei est benignitas, ut „alios indulgentius tractet propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque ac longe sequentium posterorum indolem." [46])

---

36) Sunt verba Cottae apud Ciceronem (de natura deorum I. 44, 123); cf. adn. 14.

37) Ep. 65, 10.

38) Cic. de nat. deor. I, 44, 124.

39) Similia apud Epictetum inveniuntur. Is enim postquam eos vituperavit, qui, ut Phidiae quoddam opus spectarent, Olympiam iter facerent, artificiosissimi autem operis, quod cotidie admirari iis liceret, essent neglegentissimi, addit, homines, si recta in iis mens esset, nihil aliud nisi deum praedicaturos et beneficia ab eo tributa consideraturos, ut, quidquid agerent, hymnum cantarent. Cum vero vulgus caecum sit, se ipsum dei laudes celebraturum ab eaque re usque ad ultimum spiritum non destiturum esse. Idem a sapiente postulat, quem hortatur, ut, dum a vitae statione decedere iubeatur, deum veneretur pro iis, quae et viderit et audiverit, gratias agens. (Grosch l. l. p. 24.) Ab Epicteto igitur, qui Christiana doctrina non fuit imbutus, ii superantur, qui, etsi Christiani dicuntur, tamen pro innumeris, quae cotidie accipiunt, beneficiis deo gratias agere praetermittunt.

40) Ibidem haec leguntur: „Nec volunt obesse nec possunt." — Ep. 95, 49: „Quae causa est dis bene faciendi? natura." — Iidem „aequali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt unam potentiam sortiti prodesse" (de benef. VII, 31, 4).

41) De benef. IV, 9, 1.

42) Ibid. IV, 3, 2. — cf. 25, 2: „Vide, quanta cotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus ventis maria permoveant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant venasque fontium arentes redintegrent et infuso per occulta nutrimento novent".

43) Ibid. IV, 9, 1; cf. 25, 2: „Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt."

44) Ep. 110, 10. de benef. VI, 23, 5. — Ibid. VII, 31, 2: „Beneficia ignoranti dare incipiunt, ingratis perseverant." Cum his Senecae verbis aliqua ex parte illud Iesaiae prophetae (65, 24) comparari potest: „*Καὶ ἔσται, πρὶν ἢ κεκράξαι αὐτούς, ἐγὼ ὑπακούσομαι αὐτῶν.*"

45) Cf. de benef. IV, 5, 1.

46) De benef. IV, 32, 1. „Nota enim illi est", inquit, „operis sui series omniumque illi rerum suas per manus iturarum scientia in aperto semper est, nobis ex abdito subit, et quae repentina putamus, illi provisa veniunt ac familiaria. Sint hi reges, quia maiores eorum fuerunt, quia pro summo imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non rem publicam sibi, sed se rei publicae dicaverunt. Regnent hi, quia vir bonus quidam ante proavus

Quid quod ne *sceleratos* quidem amoris fructu deus prohibet? [47])

Sed quamquam *ad unum omnes homines* [48]) ex illa benignitate fructus aliquos percipiunt, non tamen desunt, qui iis, quae habent, non contenti deum accusandum putent.

Nonnulli enim „et quidem professi sapientiam“ queruntur, quod „non magnitudine corporum aequent elephantos, velocitate cervos, levitate apes, impetu tauros, quod solidior sit cutis beluis, decentior damis, densior ursis, mollior fibris, quod sagacitate se narium canes vincant, quod acie luminum aquilae, spatio aetatis corvi, multa animalia nandi facilitate, — quod non bona valetudo etiam vitiis inexpugnabilis data sit, quod non futuri scientia. Vix sibi temperant, quin eo usque impudentiae provehantur, ut naturam oderint, quod infra deum sint, quod non in aequo illi steterint.“ [49])

Istiusmodi „iniquis divinorum munerum aestimatoribus“ Seneca haec respondet: „Carissimos nos habuerunt di immortales habentque, et, qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos conlocaverunt: *magna accepimus, maiora non cepimus.*“ [50])

Qui vero negant a deo beneficia dari, eos sic refutat Seneca. [51]) „Non dat deus“ inquit „beneficia. — Unde ergo ista, quae possides? quae das? quae negas? quae servas? quae rapis? unde haec innumerabilia oculos, aures, animum mulcentia? unde illa quoque luxuriam instruens copia? — Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbae salutares, tot varietates ciborum per totum annum digestae, ut inerti quoque fortuita terrae alimenta praeberent. Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido nascentia, alia per sublime demissa, ut omnis rerum naturae pars tributum aliquod nobis conferret. — Et cum ista, quae habes, magno aestimes, quod est ingrati hominis, nulli debere te iudicas? Unde tibi istum, quem trahis, spiritum? unde istam, per quam actus vitae tuae disponis atque ordinas, lucem? unde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? unde ista palatum tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacessentia? — Ille deus est, qui gregibus ubique passim vagantibus pabulum praestat, qui pascua hibernis aestiva substituit, qui non calamo tantum cantare et agreste atque inconditum carmen ad aliquam tamen observationem modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo cantus edituros, commentus est. Neque enim nostra ista, quae invenimus, dixeris, non magis, quam quod crescimus, quam quod ad constitutum temporum sua corpori officia

---

eorum fuit, qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione civili, quoniam ita expediebat, vinci quam vincere maluit. Referri illi gratia tum longo spatio non potuit: in illius respectum iste populo praesideat, non quia scit aut potest, sed quia alius pro illo meruit.“ Quis est qui haec legens non recordetur illud veteris testamenti *„καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας τοῖς ἀγαπῶσι καὶ τοῖς φυλάσσουσι τὰ προστάγματά μου“* (Exod. 34, 7)?

47) De benef. IV, 26, 1: „Et *sceleratis sol oritur* et piratis patent maria.“ Cum quo loco dudum fuerunt qui compararent salvatoris nostri sanctissimi verba *„ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.“* (Ev. Matth. V, 45.)

48) De benef. IV, 28, 3: „Deus quoque quaedam munera universo humano generi dedit, a quibus excluditur nemo.“ Ibid. 4. 3: „Quis est autem tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato et in poenam genitus, ut non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam et querulos circumspice: invenies non ex toto beneficiorum caelestium expertes; neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit.“

49) De benef. II, 29, 1 sq.

50) Ibid. §. 6. — cf. §. 3: „Quidquid nobis negatum est, dari non potuit.“

51) De benef. IV, 5, 1 sq. 6, 3. 5 sq.

respondent: nunc puerilium dentium lapsus, nunc ad surgentem iam aetatem et in robustiorem gradum transeuntem pubertas et ultimus ille dens surgenti iuventae terminum ponens.“ Denique alio loco[52]) „ingratissimi mortalium“ appellantur, qui non deo, sed naturae se debere affirment.

At, inquiet aliquis, quae est ista benignitas, quam tu longa oratione es prosecutus in eaque celebranda mirum quantum tibi placere visus es? Num concinit cum ea, quod deus optimum quemque fere summis malis afficit, sceleratissimum quemque impune peccare sinit? Num hoc est benigni, num iusti dei? Itaque scire velim, quid Seneca de hac re sentiat, quae non video quomodo eius de dei natura doctrinae congruat.

Concedo facile ea, quae attuli, non sine aliqua specie veri obici.[53]) Ac ne Senecam quidem id effugit. Eius igitur haec est sententia.

Deus cum propitius calamitosos respiciat[54]), non censendum est eum bonos torquendo delectari, quippe quibus amicus sit[55]), quibuscum necessitudine et similitudine coniungatur[56]), quam virtus conciliat. Itaque quotienscunque bonos adversa fortuna conflictari videbimus, deum accusare verebimur. Qui etsi eos in deliciis habet, tamen longissime abest ab tali amore, qualis in matribus esse solet, quae liberos in sinu fovere, in umbra continere, nunquam flere, nunquam contristari, nunquam laborare volunt.[57]) A tali mollitie abhorrens eos, quos probat, fortiter amat[58]), indurat, recognoscit, exercet[59]), idem faciens atque severi patres, qui filios durius educant[60]), cum eos exercitari iubent ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos et sudorem illis et interdum lacrimas excutiunt[61]). Itaque deus bonis, cum eos quam honestissimos esse cupiat, materiam praebet aliquid animose fortiterque faciendi, ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate[62]), qua velut stimuli admoventur animis; calamitas enim virtutis occasio est[63]).

Quamobrem prior causa, cur bonos aut mala valetudine aut luctu aut aliis

---

52) Ibid. IV, 8, 2.

53) Cotta Academicus apud Ciceronem de nat. deor. III, 32, 79: „Telamo autem uno versu locum totum conficit, cur di homines neglegant:

Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant. Sin id minus, bonis quidem certe consulere debebant.“

54) De clem. II, 6, 3.

55) De prov. 1, 5.

56) Ibid.

57) Ibid. 2, 6.

58) Ibid.

59) Ibid. 4, 6.

60) Ibid. 1, 5.

61) Ibid. 2, 5. — Cf. 4, 11: „Hanc itaque rationem di sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores, qui plus laboris ab iis exigunt, in quibus certior spes est.“

62) Ibid. 4, 5.

63) Ibid. 4, 6. — Cf. 3, 3: „Inter multa magnifica Demetrii nostri et haec vox est, a qua recens sum. Sonat adhuc et vibrat in auribus meis: nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi. Non licuit enim illi se experiri.“ Cf. 4, 1; 3, 10: „Cum omnia, quae excesserunt modum, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. — Quidni satius sit perpetuam infelicitatem advocata virtute sustinere quam infinitis atque immodicis bonis rumpi?“

ncommodis afficiat[64]), haec est, quod eos verum robur colligere vult[65]). Sed etiam universitati societatis humanae optime consulit, quae est altera causa. Nam illi, dum dura patiuntur, et alios fortiter pati docent[66]) et ostendunt, quae vulgus adpetit, quae reformidat, nec bona esse nec mala, quoniam, quae deus ad turpissimos defert, non possunt bona, quae bonis iniungit, non possunt mala esse[67]).

Accedit, quod adversa optimus quisque non magis invitus perfert, quam fortis miles ad patriam defendendam arma sumit[68]). Denique deus mutato, quod unicuique homini constitutum est, fato cum omnia incommoda a bonis removere[69]) non posset, quod potuit, fecit: animos eorum adversus omnia paravit[70]). Quod autem est malum, improbas cogitationes et avida consilia et flagitia et scelera, ab illis plane removit[71]).

Atque haec hactenus de iis calamitatibus, quae bonis subeundae sunt. Quibus calamitatibus quod Seneca dicit deum propter amorem paternum bonos ad eorum animos emendandos afficere, apud nullum Graecorum scriptorem, quod sciam, eiusmodi sententia invenitur. At invenitur hoc in novo testamento: „*Ὃν γὰρ ἀγαπᾷ κύριος, παιδεύει· μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱόν, ὃν παραδέχεται*“[72]). Eodem pertinet, quod alio loco scriptum est, „*ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ*“[73]).

„Quibus vero deus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Errat enim, si quis quemquam exceptum iudicat: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est.“[74])

Accedam iam ad id, quod altero loco est obiectum. Quod enim malos saepe lascivire et voluptatibus fluere[75]) mirans deum iniustitiae accusandum affirmasti, ne hac quidem in re Senecam habes assentientem. Nam cum hoc habeat proprium iustitia, ut suum cuique tribuat, deus, qualem Seneca mente concepit, iustissimus est. Namque primum mali, quamquam aliquamdiu esse felices videntur, tamen non sunt. „Isti, quos pro felicibus adspicis, si non, qua occurrunt, sed qua latent, videris, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida et sincera felicitas, crusta est, et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare et ad arbitrium suum ostendi, nitent et imponunt. Cum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc adparet, quantum altae ac verae foeditatis

---

64) Ibid. 4, 8.
65) Ibid. 2, 5. cf. 4, 15. „bonos viros, ut confirmentur, concuti.“
66) Ibid. 6, 3, quo loco haec quoque leguntur: „Nati sunt in exemplar.“
67) Ibid. 5, 1 sq.
68) Ibid. 5, 3 sq.
69) Ibid. 6, 7.
70) Ibid. 6, 6.
71) Ibid. 6, 1.
72) Epist. ad Hebr. 12, 6.
73) Act. apost. 14, 22.
74) De prov. 4, 7.
75) Ibid. 1, 6.

alienus splendor absconderit.“ [76]) Deinde deus etsi placabilis et aequus delicta non statim fulminibus persequitur [77]), tamen aliquando malos castigat et coercet et poenas irrogat [78]).

Quae poenae antequam veniant, illi multum ac saepe conscientiae stimulis exagitantur, quam non possunt effugere. „Quid agis, inquit Seneca in exhortationibus [79]), quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo: haeret hic, quo carere nunquam potes. Quid locum abditum legis et arbitros removes? Puta tibi contigisse, ut oculos omnium effugias, demens: quid tibi prodest non habere conscium habenti conscientiam?“ [80])

Haec quidem talia sunt, ut mihi quidem dei illius, quem Seneca credit, iustitiam improborum prosperitates secundaeque res nullo modo redarguere videantur.

Omnia autem, quae adhuc exposui, si nobiscum consideramus, non possumus facere, quin deum omnibus in rebus optimo exemplo hominibus esse recte a Seneca dici concedamus [81]).

Talis igitur dei natura est et talis eius in homines amor. Sequitur ut, quo modo eum homines colere debeant, ostendam.

Ac falsum quidem dei cultum [82]) quantopere Seneca improbaverit, ex eo videmus, quod, ut ait Augustinus [83]), peculiarem de superstitione librum scripsit, quo „multo copiosius ac vehementius ipse civilem et urbanam theologiam reprehendit, quam Varro theatricam atque fabulosam.“ Ibi postquam ea sacra, quae ipsius aetate in Capitolio fieri solebant, graviter perstrinxit, hunc in modum pergit: „Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo aevo longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus, cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere.“ [84])

Itaque Seneca sic statuit: Recte deum colit, non qui sacra facit, sed qui piae ac

---

76) Ibid. 6, 4. Eodem modo praeclarissime Seneca de interna bonorum felicitate, quae certa ac mansura esset, scripsit.

77) De clem. I, 7, 2.

78) Ep. 95, 50.

79) Lactant. instit. 17, 24, 16 sq. (Seneca ed. H. III. p. 421.)

80) Alius quoque locus dignus est, qui adscribatur, Ep. 41, 2. „Sacer intra nos spiritus sedet malorum bonorumque nostrorum observator et custos. Hic, prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.“ Egregie, ut solebat, de conscientiae natura ac vi exposuit Auberlen l. l. II. p. 30. 32. 134.

81) Ita enim accipienda esse Senecae verba „omnium rerum optimi auctores“ (de benef. VII, 31, 2) persuasit mihi Holzherr. In eandem sententiam Cicero auctoris vocabulo usus est de nat. deor. I, 21, 6.

82) Cf. etiam id, quod legitur de clem. II, 5, 1, „religio deos colit, superstitio violat.“

83) De civ. dei 17, 10. (Seneca ed. H. III. p. 424.)

84) Augustin. ib. 39. (Seneca ed. H. III. p. 426.) Paulo ante Augustinus (l. l. 38) haec scripserat: „In his sacris civilis theologiae has partes potius elegit Seneca sapienti, ut eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Ait enim: Quae omnia sapiens servabit tanquam legibus iussa, non tanquam dis grata.“ Quodsi quis Senecae inconstantiam miretur, qui ea sacra, quae aperte improbaret, tamen fecerit, is non minus oportet miretur Platonem, qui eadem fuit inconstantia; v. Zeller, hist. phil. Graec. II. p. 791 sq. Scilicet uterque eorum videtur timuisse, ne, si sacra publica, qualiacunque erant, fieri desita essent, non modo superstitio tolleretur, in qua inest timor inanis deorum, sed etiam religio, quae deorum pio cultu continetur, ex animis hominum evelleretur.

rectae voluntati studet[85]. „Vultisne vos[86], inquit apud Lactantium, deum cogitare magnum et placidum et maiestate leni verendum, amicum et semper in proximo, non immolationibus et sanguine multo colendum — quae enim ex trucidatione immerentium voluptas est? —, sed mente pura honestoque proposito? — In suo cuique conservandus est pectore."

Sed, quod primum est, deum credere debemus, hoc est nihil dubitare, quin eius providentia mundus regatur; deinde eundem decet vereri atque amare[87].

Itaque et reverentia eius ducti votis inhonestis abstinebimus[88] et, quidquid obvenerit, gratissima semper in eum voluntate erimus[89], quam voluntatem non melius testabimur, quam si iis, quae a deo acceperimus, optime utemur.[90] Praeterea nostrum est deo parere,[91] qua re libertatis compotes fiemus[92], eundem sine murmuratione comitari[93], denique imitari.[94]

Quae quidem imitatio qualis sit, apparebit, si, quae de dei natura Seneca doceat, meminerimus. Quem cum dicat, id quod supra demonstravi, in omnes omnino homines plurima beneficia conferre, rectissime inde colligit, sapientis quoque esse non populares solum, sed omnes homines amore prosequi. „Membra sumus, inquit, corporis magni: natura nos cognatos edidit. — Iste versus et in pectore et in ore sit:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Habeamus in commune, quod nati sumus." [95] Quae cum ita sint, non iam mirari licet, quod

---

85) De benef. I, 6, 3: „Non est beneficium ipsum, quod numeratur aut traditur: sicut ne in victimis quidem, licet opimae sint auroque praefulgeant, deorum est honor, sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint."

86) Institut. VI, 25, 3 (Seneca ed. H. III. p. 444).

87) Ep. 95, 50: „Primus est deorum cultus deos credere, deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est, scire illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt"; cf. Ep. 47, 16.

88) Ep. 10, 4. 5. — Tale votum, quale legitur apud Horatium (Ep. I, 18, 112):

Det vitam, det opes; aequum mi animum ipse parabo,

non probari Senecae apparet.

89) De benef. II, 29, 3, „ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reverti et agere gratias."

90) Eos, qui dei beneficiis male utuntur, Seneca multis verbis vituperat in naturalibus quaestionibus (V, 18).

91) Idem de se praedicat Epictetus his verbis usus: „*Ὅλος πρὸς τὸν θεὸν τέταμαι καὶ τὰς ἐκείνου ἐντολὰς καὶ τὰ προστάγματα.*" (Grosch l. l. p. 24.)

92) De vita beata 15, 7: „Deo parere libertas est.". Quae libertas qualis sit, Seneca ipse sic explicat: „Nemo liber est, qui corpori servit." (Ep. 92, 33.)

93) Ep. 107, 9. Huc pertinet, quod in eadem epistola (§. 12) legitur, „Hic est magnus animus, qui se deo tradidit: at contra ille pusillus et degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat et emendare mavult deos quam se." In eandem sententiam locutus est Epictetus: „*Τῆς περὶ τοὺς θεοὺς ἐυσεβείας . . . τὸ κυριώτατον ἐκεῖνό ἐστιν, ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν ὡς ὄντων καὶ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως· καὶ σαυτὸν εἰς τοῦτο τεταχέναι, τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς καὶ εἴκειν ἐν πᾶσι τοῖς γενομένοις καὶ ἀκολουθεῖν ἑκόντα ὡς ὑπὸ τῆς ἀρίστης γνώμης ἐπιτελουμένοις· οὕτω γὰρ οὔτε μέμψῃ ποτὲ τοῖς θεοῖς οὔτε ἐγκαλέσεις ὡς ἀμελούμενος.*" (Grosch l. l. p. 24.)

94) „Satis deos coluit, quisquis imitatus est", Ep. 95, 51. — Cf. Ep. 92, 3: „Talis animus esse sapientis viri debet, qualis deum deceat."

95) Ep. 95, 52, cf. de otio 4. — De benef. VII, 1, 7: „... si sociale animal et in commune genitus mundum ut unam omnium domum spectat."

Seneca de servis tractandis longe aliter censet atque populares eius et Graeci. In epistula enim quadragesima septima, quae tota versatur in hac re exponenda, Lucilium amicum et magnopere laudat, quod familiariter cum servis vivat, et graviter admonet, ut idem facere pergat. Nam servos quoque dicit homines esse, immo amicos, quamquam humiles. — Vir sapiens igitur, qualem Seneca mente concepit, quam plurimis prodesse studet, ita tamen, ut, num quid lucri laturus sit, non curet [96]), ingratos quoque adiuvare pergat [97]), ac ne in malos quidem conferre beneficia gravetur. [98])

„Haec faciendo et malos pertinaci bonitate vincit" [99]) et ipse felix fit. [100])

Quid? Ne inimicos quidem fructu caritatis suae excludendos putat. Qua quidem in re quantopere Senecae sententia a popularibus et Graecis, ne Stoicis quidem exceptis, differat, facile est ad intellegendum. Cyrum quidem minorem notum est (Xen. An. I, 9, 11) a dis petiisse, ut sibi tamdiu vivere liceret, dum et inimicos iniuriis et amicos beneficiis referendis superasset. Plato Graecos putare affirmat, viri honesti esse amicis beneficia tribuere, inimicos ulcisci. Nec minus Aristoteles in virum bonum atque honestum cadere dicit, cum inimicis in gratiam non redire, sed vindictam ab iis sumere. A quorum sententia longe discedit Seneca, cum etiam inimicos amandos esse docet.

„Non ut in beneficiis, inquit[101]), honestum est merita meritis repensare, ita iniurias iniuriis. Illic vinci turpe est, hic vincere. Inhumanum verbum est — ultio". Idem alio loco [102]): „usque ad ultimum vitae finem in actu erimus, non desinemus communi bono operam dare, adiuvare singulos, opem ferre etiam inimicis senili manu." [103])

Ut autem inimicis ignoscat, eo potissimum sapiens adducitur, quod ipsum se multum peccasse non ignorat. „Nemo, inquit Seneca [104]), invenietur, qui se possit absolvere, et innocentem quisque se dicit respiciens testem, non conscientiam. Quanto humanius mitem et patrium animum praestare peccantibus et illos non persequi, sed revocare."

Sed haec, quae Seneca praecipit, tanta sunt, quae sine adiutore sapiens non possit perficere. Nam „nemo, inquit ille [105])," per se satis valet, ut emergat; oportet manum aliquis

---

96) De benef. I, 1, 12: „Hoc et magni animi et boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa, et post malos quoque bonum quaerere." Comparandum autem illud est, quod Iesus Christus dixit: *Ἐὰν γὰρ ἀγαπήσητε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, τίνα μισθὸν ἔχετε;* (Ev. Matth. V, 46.)

97) De benef. IV, 26, 1: „Si deos imitaris, da et ingratis beneficium."

98) De benef. IV, 28, 1: „Satius est autem prodesse etiam malis propter bonos quam bonis deesse propter malos"; cf. ibid. 26, 1. — II, 1, 11: „Quam multi indigni luce sunt, et tamen dies oritur" cet.

99) De benef. VII, 31, 1: „Nec quisquam tam duri infestique adversus diligenda animi est, ut etiam in iniuriam bonos (h. e. eos, qui boni sunt in eos, a quibus iniuriam acceperunt) non amet, quibus hoc quoque coepit debere, quod impune non solvit. Ad illa itaque cogitationes tuas flecte: non est mihi relata gratia: quid faciam? quod di, qui beneficia ignoranti dare incipiunt, ingratis perseverant."

100) Ep. 48, 2: „Nec potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere."

101) De ira II, 32, 1.

102) De otio 1, 4.

103) In hac igitur re Seneca non secutus est Stoicorum doctrinam, qui sic statuerunt, nefarium esse facinora ignoscere; in homine constanti et sapiente ignoscendi non esse locum; iustitiam per se esse expetendam, quae scelerum et improbationem et punitionem requireret; v. Meier l. l. p. 91.

104) De ira I, 14, 3.

105) Ep. 52, 2.

porrigat, aliquis educat. — Itaque deus [106]), qui non solum semina divina in corporibus humanis dispersit [107]), sed etiam honestam hominibus mentem inicit [108]), idem adscendentibus manum porrigit [109])." Ita fit, ut sapiens a deo adiutus, si non omnia, at certe multa eorum, quae huic praestare debeat, praestare possit idemque vitam beatam degat. [110])

Egregias profecto in iis, quae Seneca de deo deique cultu docet, esse sententias, quis est qui neget? Non igitur mirandum, quod iam ecclesiastici q. d. patres [111]) eum diligenter lectitaverunt et non sine laude commemoraverunt, inter nonnulla eius placita et doctrinam Christianam miram quandam similitudinem intercedere rati. [112]) Quae similitudo cum in aliis quoque, quae adhuc reliqui, placitis appareat, nonnulla eorum libet in medium proferre. Malum intra nos esse Seneca dicit, in visceribus ipsis sedere [113]), prorsus neminem culpa vacare [114]), animum humanum valde secum dissidere [115]), peccata a libera, sed depravata hominum voluntate repetenda

---

106) Cf. Ep. 41, 2: „Bonus vir sine deo nemo est: an potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere?" Contrariam sententiam Cottam Academicum Cicero (de nat. deor. III, 36, 86) his verbis profitentem facit: „Virtutem autem nemo unquam acceptam deo retulit", ad quem Ciceronis locum Schoemann recte adnotat ac pluribus allatis locis demonstrat, Graecorum optimum quemque dixisse omnis virtutis humanae facultatem ne mente bona quidem excepta oriri a Iove, per se autem apparere, eos solos facultatem bene faciendi ab Iove accipere, qui vires, quantum possint, intendant.

107) Ep. 73, 16.

108) Ep. 41, 2: „Ille (deus) dat consilia magnifica et erecta". In mentem id venit, quod Paulus apostolus in epistola ad Philippenses missa (2, 13) scripsit: „*Ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν.*"

109) Ep. 73, 15.

110) De ira II, 13, 2.

111) V. Holzherr diss. I. p. 3.

112) Schoell *hist. de la littérature rom.* T. II. p. 448: „*Il n'y a pas de lecteur de Sénèque qui n'ait été frappé des sentiments chrétiens qu'on trouve répandus dans ses écrits, et qui sont souvent rapportés dans les expressions mêmes du nouveau Testament*". (Eiusmodi sententias nonnullas, minime omnes in medium protulit Siedler l. l. p. 26—28.) Holzherr diss. I. p. 23. — Diderot vero, qui proximo vixit saeculo, quod sero demum admodum senex ad legendum Senecam aggressus esset, valde doluit.

113) Ep. 50, 4.

114) De benef. I, 10, 1—4. — De ira II, 28, 1: „Si volumus aequi rerum omnium iudices esse, hoc primum nobis persuadeamus, neminem nostrum esse sine culpa"; de clem. I, 6, 3 sq. „Peccavimus omnes: alii gravia, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsi aut aliena nequitia ablati, alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus et innocentiam inviti ac renitentes perdidimus. Nec deliquimus tantum, sed usque ad extremum aevi delinquemus. Etiamsi quis tam bene iam purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit." Itaque „iustitiam civilem" quae dicitur a theologis Christianis homini non sufficere, ex eo loco, quem paulo ante attuli, (de ira II, 28, 2 sq.) videmus. „Quis est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? Ut hoc ita sit, quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt? Sed ne ad illam quidem artissimam innocentiae formulam praestare nos possumus: alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus, aliis favimus, in quibusdam innocentes sumus, quia non successit. Hoc cogitantes aequiores simus delinquentibus . . ."

115) Ad Marc. 24, 5: „Omne illi (int. animo) cum hac carne grave certamen est, ne abstrahatur et sidat". — Ep. 20, 6 (cf. §. 4): „Nesciunt homines, quid velint, nisi illo momento, quo volunt. In totum nulli velle aut nolle decretum est. Variatur cotidie iudicium et in contrarium vertitur ac plerisque agitur vita per lusum." Ep. 52, 1: „Quid est hoc, Lucili, quod nos alio tendentes alio trahit et eo, unde recedere cupimus, impellit? quid colluctatur cum animo nostro nec permittit nobis quidquam semel velle? Fluctuamus inter varia consilia: nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper." Itaque Seneca (ib. §. 6) „malignitatem

esse[116]), cuius depravationis causa in opinionum vanitate sit posita[117]), ut is demum corrigi possit, qui se peccare sciat.[118]) Quamvis autem in visceribus hominum malum sedere contendat (adn. 113), divino semine eos ortos esse dicit.[119]) Praeterea verum scire negat satis esse, nisi quis recte faciat[120]), vitae non longae, sed bene actae plurimum tribuendum esse ait[121]), honestis quidem gaudiis frui licere[122]), sed veram felicitatem non positam esse in rebus

---

naturae" conqueritur et (ep. 92, 28) tanta vitia nostra esse affirmat, ut ad desperationem nos perducant. His, quae ex Seneca attulimus, comparemus hos Euripidis (Med. v. 1067 sqq.) versus:

„*Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά,*
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς",

et Ovidii (Met. VII, 19 sqq.):

„Aliudque cupido,
mens aliud suadet; video meliora proboque.
deteriora sequor."

Alios locos attulit E. de Lasaulx in eo libello, qui inscribitur: „de mortis dominatu in veteres" (l. l. p. 470.) In eandem sententiam Paulus apostolus (ep. ad Rom. VII, 14 sq.) haec scripsit: . . . *πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γιγνώσκω· οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω, ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ.* Illa autem animi cum semetipso dissensione ne is quidem caret, qui iam multum in virtute profecit. „Sed ei, qui ad virtutem tendit, etiamsi multum processit, opus est aliqua fortunae indulgentia adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exsolvit et omne vinculum mortale. Quid ergo interest? quod alii adligati sunt, alii adstricti: hic, qui ad superiora progressus est et se altius extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero" (de vita beata 16, 3). Egregie autem Auberlen (l. l. II. p. 30 sq.) disputavit hunc in modum: „*Schon Aristoteles hat einen so tiefen Eindruck von dem den ganzen Menschen beherrschenden Verderben, dass er bemerkt, die Thierheit sei geringer als das Böse, wenn auch schrecklicher; denn es sei dabei nicht das Beste verderbt, wie im Menschen; und Plato erklärt bekanntlich unsre ganze jetzige sinnliche Existenz aus einem Abfall der Seele von den übersinnlichen Ideen, die sie in der Praeexistenz schauete; so dass wir sehen, wie auch schon die erleuchteteren Heiden im Lichte des Gewissens nicht nur einzelne Handlungen, sondern den Gesammtzustand des Menschen als böse erkannt haben.*"

116) Ep. 116, 8: „Nolle in causa est, non posse praetenditur"; cf. Ev. Matth. 23, 37: „*Ἱερουσαλήμ, Ἱερουσαλήμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτήν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις τὰ νοσσία αὐτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας; καὶ οὐκ ἠθελήσατε.*"

117) Ep. 95, 57: „Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas; rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit. Ab hoc enim est voluntas: habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitae leges perceperit, et, quid de quoque iudicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas nisi immutabile certumque iudicium adeptis." Ep. 92, 3: „Quid est beata vita? Securitas et perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo: dabit constantia bene iudicati tenax. Ad haec quomodo pervenitur? Si veritas tota perspecta est"; cf. Ev. Luc. 23, 34: *Οὐ γὰρ οἴδασι, τί ποιοῦσι.*

118) Ep. 28, 9: „Initium salutis est notitia peccati."

119) Ep. 92, 30: „Quid est autem, cur non existimes in eo divini aliquid exsistere, qui dei pars est?" — Ep. 120, 14: „Mens dei, ex quo pars et in hoc pectus mortale defluxit." Cf. acta apostol. 17, 28: „*Ἐν αὐτῷ (θεῷ) γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν· ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.*"

120) Ep. 75, 6: „Non est beatus, qui scit illa, sed qui fecit"; cf. Ep. Iac. 1, 25: „*οὐκ ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς γενόμενος, ἀλλὰ ποιητὴς ἔργου, οὗτος μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔσται.*"

121) Ep. 101, 15: „Quam bene vivas refert, non quam diu." — Cf. Pauli Ep. ad Rom. 14, 8: *Ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ κυρίῳ ζῶμεν· ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τῷ κυρίῳ ἀποθνήσκομεν*, qui locus bene explicatus est in eo libro, qui inscribitur *Biblisches Wörterbuch, herausgeg. von H. Zeller* (T. II. p. 131).

122) Ep. 104, 3: „Indulgendum est honestis adfectibus (i. e. gaudiis). Homini Christiano autem non minus licere talibus gaudiis frui, Meier (l. l. p. 109) locis e novo testamento allatis probat.

externis [123]), deinde, ne quis virtutis specie fallatur, admonet, [124]) nihil opinionis, omnia conscientiae causa facienda docet. [125])

At inveniuntur apud Senecam etiam ea, quae cum egregiis eius de deo sententiis, quas in medium protuli, aut videantur non consentire aut non consentiant. Ac primum quidem possit aliquis in eo offendere, quod ille saepenumero non dei, sed deorum mentionem facit et quod, quem deum solet dicere, eundem aliis locis significat vocabulis Iovis, naturae, fati, fortunae. Cuius rei cum multa possim afferre exempla, pauca commemorare satis habeo haec: Ep. 73, 14 sqq. „Iuppiter omnia habet — —. Non sunt di fastidiosi — — —. Miraris hominem ad deos ire? Deus ad homines venit"; ib. 107, 16. „Paratos nos inveniat fatum. Hic est magnus animus, qui se deo tradidit: at contra ille pusillus et degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat et emendare mavult deos quam se" [126]); de benef. VI, 23, 5: „cogitavit nos ante natura, quam fecit"; cf. de prov. 5, 8. Hos et similes locos ne male intellegamus, consideremus ea, quae aliis locis dicit Seneca. Postquam enim quendam haec sibi obicientem fecit: „Natura haec mihi praestat" [127]), sic pergit dicere: „Non intellegis te, cum hoc dicis, mutare nomen deo?" Quid enim aliud est natura quam deus et divina ratio toti mundo partibusque eius inserta? Quotiens voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum conpellare: et Iovem illum optimum ac maximum rite dices et tonantem et statorem. — Hunc eundem et fatum si dixeris, non mentieris. — Quaecunque voles, illi nomina proprie aptabis vim aliquam effectumque caelestium rerum continentia: tot appellationes esse possunt, quot

---

123) Ep. 74, 16 sqq. „Non est summa felicitatis nostrae in carne ponenda: bona illa sunt vera, quae ratio dat, solida ac sempiterna, quae cadere non possunt, ne decrescere quidem aut minui: cetera opinione bona sunt et nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non est. Itaque commoda vocentur, et, ut nostra lingua loquar, producta. Ceterum sciamus mancipia nostra esse, non partes, et sint apud nos, sed ita, ut meminerimus extra nos esse. Etiamsi apud nos sint, inter subiecta numerentur et humilia, propter quae nemo se adtollere debeat. Quid enim stultius quam aliquem eo sibi placere, quod ipse non fecit? Omnia ista nobis accedant, non haereant, ut, si abducantur, sine ulla nostri laceratione discedant. Utamur illis, non gloriemur, et utamur parce tanquam depositis apud nos et abituris"; cf. Ev. Luc. 12, 16—21. Ep. ad Hebr. 10, 34. — Pauli ep. ad Coloss. 3, 2: *Τὰ ἄνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.*

124) Ep. 120, 8 sq. „Mala interdum speciem honesti obtulere et optimum ex contrario nituit. Sunt enim, ut scis, virtutibus vitia confinia et perditis quoque ac turpibus recti similitudo est: sic mentitur prodigus liberalem, cum plurimum intersit, utrum quis dare sciat an servare nesciat. Multi, inquam, sunt, qui non donant, sed proiciunt. Non voco ego liberalem pecuniae suae iratum. Imitatur neglegentia facilitatem, temeritas fortitudinem. Haec nos similitudo cogit adtendere et distinguere specie quidem vicina, re autem plurimum inter se dissidentia". Christianam vero doctrinam qui sequuntur, prorsus novum animum sibi induere iubentur: cf. Pauli ep. II ad Cor. 5, 17: *Ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδού, γέγονε καινὰ τὰ πάντα;* cf. Ev. Matth. 9, 16.

125) De vita beata 20, 4. — Addam hic, quod supra praetermisi. Obsequium in parentes quantopere Seneca liberis inculcet, ex his verbis apparet (de benef. III, 38, 2): „Nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile quamque nunquam a memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: Parentibus meis parui, cessi. Imperio eorum, sive aequum sive iniquum ac durum fuit, obsequentem submissumque me praebui. Ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer."

126) Cf. de prov. IV, 6: „... ista, quae di immortales velut stimulos admovent animis"; ibid. 7: „Hos itaque deus, quos probat ..."; ibid. 11: „Hanc itaque rationem di sequuntur in bonis viris"; ibid. 12: „Quid mirum, si dure generosos spiritus deus temptat?" Alios locos affert Holzherr in diss. I. p. 99. adn. 2.

127) De benef. IV, 7, 1.

munera.“ [128]) „Nihil agis, qui te negas deo debere, sed naturae: quia nec natura sine deo est, nec deus sine natura, sed idem est utrumque. — Si, quod a Seneca accepisses, Annaeo, te debere diceres vel Lucio, non creditorem mutares, sed nomen, quoniam, sive praenomen eius sive nomen dixisses sive cognomen, idem tamen ille esset: sic nunc naturam voca, fatum fortunam: omnia eiusdem dei nomina sunt varie utentis sua potestate. Et iustitia, probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas unius animi bona sunt: quidquid horum tibi placuit, animus placet.“ [129])

Unum igitur esse deum credit Seneca, quem tum quoque intellegit, cum plures deos commemorat [130]), id quod maxime ex epistula 107, 16. apparet, ubi in eadem paragrapho, cum numen significat, et singulari et plurali numero utitur.

In plurali igitur numero deorum non est quod offendamus, in aliis rebus non possumus non offendere. Quo in genere est, quod Seneca de fato narrat. Quod si quis potentiam deo superiorem intellegat, possit ad suam sententiam defendendam haec eius verba afferre: „Inrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit.“ [131]) Ne tamen in eam, quam dixi, sententiam verba illa accipiamus, aliis locis impedimur. „Ille ipse, inquit Seneca [132]), omnium conditor et rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper paret, semel iussit.“ Idem alio loco [133]): „Etiamsi Iuppiter illa non facit nunc, Iupiter fecit, ut fierent. Singulis non adest, et tamen vim et causam et manum omnibus dedit.“ His igitur locis apparet Senecam fatum non absolutum [134]) deique potentiam excedens intellegere, sed ordinem rerum a deo sapienter constitutum s. dei voluntatem immutabilem [135]). Sed si a deo semel constitutum est, quicquid est futurum, nonne tollitur libertas humana, qua hominibus erepta simul omnis peccandi culpa tollitur? Id ne Senecam quidem effugisse, iure videmur ex his verbis [136]) colligere:

---

128) Ibid. §. 2.

129) Ibid. IV, 8, 2 sq.

130) Ea in re secutus est Stoicos, qui quamquam unum deum esse credebant, tamen saepe, ne in multitudinis offensionem inciderent, vulgaribus opinionibus verba sua accommodantes plurium deorum mentionem faciebant. — Aliter pluralis numerus di accipiendus est eo loco, qui legitur in epistula 110, 1: „Sepone in praesentia, quae quibusdam placent, unicuique nostrum paedagogum dari deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae ex eorum numero, quos Ovidius ait, „de plebe deos“: ita tamen hoc seponas volo, ut memineris maiores nostros, qui crediderunt, Stoicos fuisse: singulis enim et Genium et Iunonem dederunt.“ — „Stoici enim“, ut ait Meier l. l. p. 127 sq., „ut sibi et systemati suo constantes tamen de dis aliquo (etsi non plebis) sensu loqui possent, daemonologiam s. doctrinam de dis minoribus, ad quos plebis di referrentur, cum Platone statuebant et hoc modo mythologiam (sensu proprio prorsus quidem repudiatam, v. Cic. de nat. deor. II, 24) allegorice explicabant.“

131) De prov. 5, 8.

132) Ibid.

133) Nat. quaest. II, 46.

134) Fatum deo superius esse ex alio loco (nat. quaest. II, 36) Meier (l. l. p. 130) efficiendum putavit: „Quid enim intelligis fatum? Existimo necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat.“ Sed falso. Sequuntur enim haec verba: „Sapientis quoque viri sententiam negatis posse mutari: quanto magis dei? Cum sapiens, quid sit optimum in praesentia, sciat, illius divinitati omne praesens sit.“

135) Cf. de benef. VI, 23, 1: „Adice nunc, quod non externa cogunt deos, sed sua illis in legem aeterna voluntas est. Statuerunt, quae non mutarent: itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint, quia, quicquid desinere non possunt, perseverare voluerunt, nec unquam primi consilii deos paenitet.“

136) Nat. quaest. II, 38, 3.

„Ista nobis opponi solent, ut probetur, nil voluntati nostrae relictum et omne ius fato traditum. Cum de ista re agetur, dicam, quemadmodum manente fato aliquid sit in hominis arbitrio." Cum vero eum, quem se scripturum promisit libellum, aut ipse non ediderit aut temporum iniuria deleverit, acquiescere sane cogimur in iis, quae alio loco[137]) dicit: „Quicquid est ex his, Lucili, vel, si omnia haec sunt, philosophandum est. Sive nos inexorabili lege fata constringunt sive arbiter deus cuncta disponit sive casus res humanas sine ordine impellit et iactat, philosophia nos tueri debet. Haec adhortabitur, ut deo libenter pareamus, fortunae contumaciter. Haec docebit, ut deum sequaris, feras casum." [138]) Quae verba dubitari non potest quin in hanc sententiam sint scripta: Sive fatum regnat, sive omnia a deo pendent, nos tamen liberi sumus, sapientiae et virtuti libere possumus studere, ut beatum et tranquillum paremus animum. (Meier l. l. p. 134.)

Sed, ut iterum ad fatum recurramus, si „dei sententia mutari non potest" (nat. qu. II. 36), quid tandem proficiunt vota ab hominibus suscepta? Videamus, quid hac de re Seneca sentiat. „Permitte mihi, inquit[139]), illam rigidam (int. Stoicorum) sectam tueri eorum, qui excipiunt ista et nihil esse aliud quam aegrae mentis solatia existimant. Fata inrevocabiliter ius suum peragunt nec ulla commoventur prece. Non misericordia flecti, non gratia sciunt." His conferenda sunt, quae paulo infra leguntur[140]): „Hanc (i. e. necessitatem) si sacrificiis aut capite niveae agnae exorari iudicas, divina non nosti" Rursus Seneca alio loco[141]): „Nos quoque existimamus vota proficere salva vi ac potestate fatorum." Eandem sententiam uberius his verbis persequitur: „Hoc (i. e. „deum nihil agere") qui dicit, non exaudit precantium voces et undique sublatis in coelum manibus vota facientium, privata ac publica. Quod profecto non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales consensissent adloquendi surda numina et inefficaces deos, nisi nossemus illorum beneficia nunc oblata ultro, nunc orantibus data, magna, tempestiva, ingentes minas interventu suo solventia."[142]) Utra igitur sententia Senecae praeferenda videatur, eorum, qui preces ad deum factas efficaces esse affirmant, an eorum, qui negant, in medio relinquitur.

Nec minus incerti sumus, cum quaerimus, quid de providentia divina ille cogitet. Quamquam enim, id quod antea demonstravi, cum de universa dei natura dissererem, mundum providentia regi neque quemquam dei beneficiorum expertem esse dicit, tamen alio loco[143]) non dubitat profiteri, deos interdum, non semper singulorum hominum salutem curare.

---

137) Ep. 16, 5. Loquitur sane eo ipso loco ita, quasi fatum a deo non pendeat.

138) Dubitare Senecam aliis quoque locis videmus, veluti nat. quaest. I. prolog. 3: „... cum disco, quae universi materia sit, quis auctor aut custos, quid sit deus, totus in se intendat an ad nos aliquando respiciat, faciat cotidie aliquid an semel fecerit, pars mundi sit an mundus, liceat illi hodieque decernere et ex lege fatorum aliquid derogare an maiestatis diminutio sit et confessio erroris mutanda fecisse...." Cf. Ep. 110, 2.

139) Nat. quaest. II, 35, 1 sq.

140) Ibid. II, 36.

141) Ibid. 37, 2.

142) De benef. IV, 4, 2.

143) Ep. 95, 50: „... interdum curiosi singulorum." Cf. Ep. 110, 2: „Postea videbimus, an tantum dis vacet, ut privatorum negotia procurent: interim illud scito, sive adsignati sumus sive neglecti et fortunae dati, ..." Cf. de prov. 3, 1.

Restat alia res, quae nullo pacto cum Senecae de providentia dei sententia congruit. Qui enim sic statuit, id quod eum persuasum habere vidimus, deum pro sapientia sua atque in homines amore mundum regere, is debet credere, quicquid sibi mali acciderit, saluti sibi fore, utpote a deo missum. Itaque nullo pacto vitam abrumpet, sed exspectabit, dum a statione revocetur. At Seneca multis locis docet hominibus sponte vita decedere licere. Veluti de prov. 6, 7: „Ante omnia cavi[144]), ne quis vos teneret invitos. Patet exitus. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ideo ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius quam mori. Adtendite modo, et videbitis, quam brevis ad libertatem et quam expedita ducat via. — Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit renuntiare naturae et munus illi suum impingere“. Quamquam Senecae, ne quis iniquius de eo iudicium faciat[145]), effeminati animi esse videtur paupertatem, dolores aliasque calamitates morte voluntaria effugere. Negat enim esse moriendum nisi graviore causa impellente: quam moriendi necessitatem sapienti ita demum adesse, si naturae convenienter vivere prohibeatur.[146]) „Non relinquam, inquit, senectutem, si me totum mihi reservabit: totum autem ab illa parte meliore. At si coeperit concutere mentem, si partes eius convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed animam, prosiliam ex aedificio putrido ac ruenti. Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem nec officientem animo. Non adferam mihi manus propter dolorem: sic mori vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo esse patiendum, exibo, non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne, propter quod vivitur. Imbecillus est et ignavus, qui propter dolorem moritur, stultus, qui doloris causa vivit.“[147]) Hac vero aetate qui mortem ipsi sibi consciscunt, quorum numerum in dies augeri maxime dolendum est[148]), eorum haud pauci „frivolis de causis,“ ut utar Senecae verbis[149]), hoc est, postquam vitam libidinosam degerunt, bona consumpserunt, inanibus rebus tempus contriverunt, ad extremum illud et foedissimum auxilium confugiunt, nec nefas id ducentes, quod vel maxime legibus divinis repugnat[150]), neque secum reputantes, omnibus omnino hominibus gratiam divinam patere, modo peccatorum vere eos paeniteat. Sed, ut ad inceptum revertar, Seneca, cum falsam sapientis viri notionem mente conceperit, fieri non potest quin de deo quoque falsam habeat opinionem, quem pluribus locis docet a sapiente aequari, quin etiam superari. „Bonus, inquit[151]), tempore tantum a deo differt.“ — „Est aliquid, quo sapiens antecedat deum: ille beneficio naturae non timet, suo sapiens.“[152]) „Ferte fortiter. Hoc est, quo deum antecedatis: ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam.“[153])

---

144) Deum loquentem Seneca inducit.

145) Parum perspicue haec scripsit H. Schiller *(Geschichte des Römischen Kaiserreichs unter der Regierung des Nero,* Berlin 1872, p. 596): *„Die Stellen sind nicht selten, wo ein Mann wie Seneca in leidenschaftliche Freude ausbricht, wenn er den Selbstmord als das letzte Bollwerk des wankenden Geistes verherrlicht.“* Egregie, qua potissimum causa veterum optimus quisque ad mortem voluntariam impulsus sit, exponit Spiess l. l. p. XXX sq.

146) Ep. 58, 35 sq.

147) Cf. ibid. §. 34: „Si inutile ministeriis corpus est, quidni oporteat educere animum laborantem?“

148) Vel ex ea re intellegi licet, quantopere vera pietas minui ac mores in praeceps labi coeperint.

149) Ep. 4, 4.

150) Cf. Pauli ad Rom. ep. 14, 7: *Οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει.*

151) De prov. I, 5; cf. ep. 53, 11.

152) Ep. 53, 11.

153) De prov. 6, 6.

Denique qui „maiestatem suam deo reddit“, id quod Seneca ipse praecipit[154]), hoc est qui vitare studet, quidquid ab ea abhorret, is non potest non deum vereri eiusque timore adductus peccata refugere. Seneca autem haec dicit[155]): „Deos nemo sanus timet.“ Scilicet qui nesciret, quod nos scimus, timorem dei sapientiae esse initium, exilem modo de sanctitate quam vocant dei opinionem animo concipere potuit.

Haec fere sunt, quae, ut mea fert opinio, L. Annaeo Senecae de deo eiusque cultu videntur. Quae si cui talia videntur esse, ut eum de rebus divinis praeclare multa praecepisse neque tamen satis stabilem certamque, sed paululum errantem et vagam habuisse sententiam, et de rebus gravioribus non semper recte iudicavisse statuat, me quidem habet prorsus assentientem et illud quoque concedentem, quod ab hac quaestione seiungi non potest, Christianam doctrinam eum nullo pacto cognitam habuisse[156]). Ut enim alia haud pauca taceam, quae afferre temporis augustiis prohibeor, si Seneca, id quod censet Schmidt[157]), per Gallionem fratrem natu maiorem, quem, cum pro consule Achaiam obtineret, qua animi lenitate excellebat[158]), eadem in Paulo apostolo usum esse scimus[159]), si Seneca, inquam, de Christianorum placitis audivisset, non dubito, quin aliquo loco id, in quo summa doctrinae Paulinae posita est, hominem sola fide iustum fieri, non bonis operibus, commemoraturus fuerit.

At etsi eam veritatis cognitionem, cuius nos quidem non nostra opera, sed dei clementissimi gratia compotes facti sumus, non est assecutus[160]), tamen, quia suis vitiis et peccatis perspectis[161]) nihil antiquius habuit, quam ut et suum animum corrigeret[162]) et aliis veram

---

154) Ep. 95, 50.

155) De benef. IV, 19, 1. Eadem sententia inest in hoc versu poetae nescio cuius:

Maiestas et amor non una sede morantur.

et in alio Senecae loco (ep. 47, 18).

156) Aliter iudicat Schmidt l. l. p. 319, cum haec scribit: „*Ohne diesen christlichen Einfluss bleibt Seneca ein Räthsel; und dieser Einfluss kann wohl erklärt werden.*“

157) Ibid. p. 320.

158) Seneca nat. quaest. IV. praef. 10 sqq. fratris illius comitatem, incompositam suavitatem, morum amabilitatem magnis laudibus efferens „Nemo mortalium“ inquit, „uni tam dulcis est quam hic omnibus“.

159) Act. apost. 18, 12 sqq. Riehm, *biblisches Wörterbuch*, p. 460.

160) Ne illud quidem Senecae contigit, ut talem virum sapientem, qualem informaverat, in his terris videret. Neque id mirum. Qui enim ab omni parte perfectus est, is homo neque fuit neque est neque ullo unquam tempore erit. Ceterum apte, quae Grosch de Epicteto (l. l. p. 35) dicit, licet transferre in Senecam: „*Während er vergeblich nach dem Schauspiel sich sehnte, einen wirklichen Weisen nach seinem Sinne zu sehen, wurde bereits im Römerreich derjenige verkündigt und bekannt, der von sich sagen konnte: Ich bin der Weg, die Wahrheit und das Leben; der als wahrer Mensch zwar trauerte, seufzte und weinte, aber doch göttlich lebte und göttlich starb und göttlich über den Tod siegte: der in Knechtsgestalt die Herrlichkeit des Eingebornen vom Vater offenbarte und Alle, die im Glauben seine Brüder werden, zur herrlichen Freiheit der Kinder Gottes und zu einem Frieden erhebt, der höher ist als alle Vernunft.*“

161) Aperte errores confitetur de vita beata 2, 3. — Ep. 8, 3: „Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro.“ — Nat. quaest. III. praef. 2: „Premat ergo senectus et obiciat annos inter vana studia consumptos; tanto magis urgeamus et damna aetatis male exemptae labor sarciat.“ Idem et „apud grammaticum tempus se perdidisse“ queritur (ep. 58, 5) et omnino modeste de se iudicat. Nam se in tertia classe proficientium ponit (ep. 75, 15), sapientem se esse negat (ep. 57, 3. 89, 2; ad Helviam matr. 5, 2).

162) De ira III, 36, 2 sq. „Quicquam ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tranquillus, quam altus ac liber, cum aut laudatus est animus aut admonitus et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis? Utor hac potestate et cotidie apud

viam monstraret[163]), dignus profecto videtur, cuius libros diligenter legamus et, quae insunt vere dicta, penitus animis mentibusque nostris mandemus.[164])

---

me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est et conticuit uxor moris mei iam conscia, totum diem meum scrutor factaque ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo."

163) Cf. adn. 161. (ep. 8, 3.) ep. 51, 13: „Proice, quaecunque cor tuum laniant, quae si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum erat." His cf. quae scripta sunt in novo testamento (Ev. Matth. 5, 29): *„Εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου ὁ δεξιὸς σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ."* — Nat. quaest. VII, 32, 1: „Ad sapientiam quis accedit? quis dignam iudicat, nisi quam in transitu noverit? quis philosophiam aut ullum liberale respicit studium?" Aliis locis philosophiae studium salutare dicitur (ibid. IV. praef. 14) iique reprehenduntur, qui, cur in his terris vivant, non considerantes, inutilibus rebus tempus terant (de brevit. vitae 13, 1); de brev. vit. 14, 1: „Soli omnium otiosi sunt, qui sapientiae (i. e. morum emendationi) vacant: soli vivunt" (cf. ibid. §. 14); nat. quaest. III praef. 10—17: „Quid praecipuum in rebus humanis est? non classibus maria complesse nec in rubri maris litore signa fixisse nec deficiente ad iniurias terra in oceano ignota quaerentem, sed animo omnia vidisse, et, qua maior nulla victoria est, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui populos, qui urbes habuerunt in potestate, paucissimi, qui se. — Quid est praecipuum? erigere animum supra minas et promissa fortunae, nihil dignum illam habere putare, quod speres. — Quid est praecipuum? posse laeto animo adversa tolerare: quicquid acciderit, sic ferre, quasi volueris tibi accidere. — Quid est praecipuum? Animus contra calamitates fortis et contumax, luxuriae non adversus tantum, sed infestus, nec avidus periculi nec fugax, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere, et adversus utramque intrepidus inconfususque prodire, nec illius tumultu nec huius fulgore percussus. — Quid est praecipuum? Non admittere in animo mala consilia, puras ad caelum manus extollere, nullum bonum petere, quod, ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere, optare, quod sine adversario optatur, bonam mentem, cetera magno aestimata mortalibus, etiamsi quis domum casus adtulerit, sic intueri, quasi exitura, qua venerunt. — Quid est praecipuum? Altos supra fortuita spiritus tollere, hominis meminisse, ut, sive felix eris, scias, hoc non futurum diu, sive infelix, scias te hoc non esse, si non putes. — Quid est praecipuum? In primis labris animam habere. Haec res efficit non e iure Quiritium liberum, sed e iure naturae. Liber autem est, qui servitutem suam effugit. — Sibi servire gravissima est servitus"; cf. de benef. VII, 1, 7.

164) Vituperatores multos recentiore aetate habuit Seneca (cf. Holzherr diss. I. p. 5 sqq.). Quo in genere est Schiller, qui in eum, quem supra (adn. 145) demonstravimus, librum larga manu congessit, quicquid et iure crimini illi vertitur et iniuria. Multo rectius mihi quidem videtur statuere Boehm in eo libello, qui inscribitur: *L. Annaeus Seneca und sein Werth auch für unsre Zeit.* Berlin 1856. Is enim ut minime excusat, quae improbanda sunt, ita recte dicit, si quis non inique iudicare velit, ei et de diversis Senecae aetatibus diverso modo iudicandum et illud tenendum esse, ab homine quodam nequam plurima eorum, quae ei exprobrantur, esse conficta.

Corrigenda:

p. 1. adn. 1. v. 1. scriptum est explicator, scribendum est explicatur.
„ 4. „ 9. „ „ investititationi „ „ investigationi.
„ „ „ 9. „ 8. „ „ crediilmus „ „ credidimus.
„ 6. „ 6. „ „ ἀόριστος „ „ ἀόρατος.
„ 10. „ 1. „ „ ncommodis „ „ incommodis.
„ 15. „ 122. „ 1. ante Homini deest ".